
Ioan. Iacobæi Ripenſis
Oratio
de
Nativitate Iesu Christi, p.
Rostoch. 1595.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

3,– 115.

LN 974
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

ORATIO GENETH-
LIACA
DE IESV CHRISTI
PVBLICÆ SALVTIS AVTORIS
NATIVITATE SECVNDVM CARNEM,

varia tum ex ſacrarum literarum libris, tum ex ſcriptoribus orthodoxis collecta argumenta continens, exercitii gratiâ conſcripta, & recitata in Academiâ Hafnienſi,

à

IOANNE IACOBÆO

RIPENSI.

Origenes:
Terrenum corpus ſuſcepit: vt id allatum in cœlum portaret.

ROSTOCHII.

M. D. XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

M. GEORGIO SIMONIS AD TEMPLVM S. ALBANI ET PRÆPOSITO, M. BARTHOLINO MATHIÆ ad templum Divæ virginis, M. IACOBO IACOBI VOLFIO, Lectori Theologiæ, & Dn̄. IOHANNI NICOLAI SCANO ad templum Diui Iohannis, verbi Dei miniſtris fideliſs. Otthoniæ Fionûm, viris optimis ac doctiſs. amicis ac fautoribus ſuis perpetuò honorandis S.

VIri optimi, omniq́ꝫ doctrinarum genere inſtructi, qvanqvam multi, fortaſſe, de hac eadem materiâ longè doctiùs, atq́ꝫ elegantiùs ſcriptitarunt: vnde calumniatores non vnam latebram, ſed campum ampliſsimum ad ſugillandum ſcribenbentium pro ingenioli talento tenuiore opellam habeant: attmen nunqvam factis & exercitiis honeſtis defuerunt excuſationes laudabiles, qvibus obtrectatorum virulentus impetus retunditur. Sat enim fautotorum & excuſatorum habet, qvi rectitudini & honeſtati vacat. Parum itaq́ꝫ Zoilorum obloqvia moror, dum cauſſæ graves eædemq́ꝫ honeſtæ me, hanc orationem privato ſtudio collectam in lucem emittentem, tuentur. Cogitavi etenim inde non paucos ad æmulationem excitatum iri, & meos parentes, atq́ꝫ amicos habituros qvid in poſterum de ſtudiis meis judicent, atq́ꝫ ſperent. Viri itaq́ꝫ clariſsimi, veſtrâ humanitate in

muſa-

B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

muſarum cultores propenſiſsimá nixus, hanc orationem, ingenii mei qvaſi ſpecimen aliqvod primitivum, vobis inſcribo: vt ſit amoris mei erga vos teſtis perpetuus, atq; honoris veſtræ dignitati haud immeritò deferendi teſtificatio. Iccirco vos atq; alios bonos huic exercitio, fœtui immaturo, cenſores æqvos fore minimè deſido. Valete. Die viſitationis Mariæ, Anno Domini 1595.

V. R.

colens & obſervans

Ioan. Iacobæus
Ripenſis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

VEnerabiles ac præſtanti litterarum ſcientiâ conſpicui viri, & ſtudioſi doctiſſimi, qvodſi excuſatione vtar, qvare hîc declamatiunculam habebo, & multi eruditorum omnium calculis, punctisq; doctiſſimi juvenes, qvi et doctrinâ & experientiâ me longè ſuperant, nunc ſedent atq; me in tantâ Coronâ hominum doctiſſimorum balbutientem avdiunt: ſanè actum agerem. Qvod ſi in hiſce conditiones ſive cauſſas præſentis negocij perpenderint: propoſitum meum aliqvo modo ex doctiſſimis & ſapientiſſimis viris laudibus celebrari poteſt, qvi naturâ candidi ac boni ſunt, dextrè de aliorum inceptis judicant. Cùm itaq; hoc exercitii genus illi impoſuerunt, qvibus obſeqvi par eſt, non potui non eorum monitis parere. Eorundem igitur mandatum, atq; mea ipſius vtilitas hoc exercitamenti genus facilimè defendant. Etiamſi videor à conſvetudine hujus Academiæ nonnihil diſcedere, qvæ omnibus declamandi veniā non concedit, ſed ſaltim iis, qvos in communitate Regis liberalitas alit: meum tamen inceptum, huic loco novū viſum, ii, qvi peregrinati ſunt in Academiis benè conſtitutis, (vt à meis præceptoribus accepi) minimè improbabunt. Niſi fuiſſem hiſce alyſq; cauſſis graviſſimis motus, aliorum potiùs veſtigia adoraſſem, in præſenti tempore ac loco, qvàm aliqvid novi tentaſſem. Me iam inſtituti cauſſis, ſanè honeſtis & licitis, veſtræ humanitati expoſitis, Oro etiam atq;

etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

etiam vos, vt pro ſolitâ ac conſvetâ facilitate, ea, qvæ di-
cturus ſum, benignè ſuſcipere dignemini, & vt æqvi cen-
ſores eſſe velitis in hoc meo declamandi tyrocinio. Fate-
or enim meam ingenij imbecillitatem ac ruditatem, tantæ
materiæ pro dignitate tractandæ nullo modo parem eſſe,
qvam è multis aliis, certis de cauſsis, præſenti tempore tra-
ctandam elegi. Prima, vt aliqvid de Die Natali Sal-
vatoris Domini noſtri IESV CHriſti dicerem, qvod
præſentis temporis vultui havd indebitum fore arbitrabar,
vt præſens materia confirmari ac ſtabiliri qveat. Primò,
certa argumenta & teſtimonia avdiamus, Chriſtum na-
tum in mundum eſſe confirmantia: Deinde qvid vtili-
tatis inde habemus. Qvando juxta meum judicium hæc
aliqvo modo argumentis certis probavero, orationi meæ
finem ſum impoſiturus. Exopto, vt Deo opt: terq; maxi-
mo acceptum fiat, atq; vos clariſſimi viri, ſtudioſi hone-
ſtiſſimi, hunc meum conatum boni conſulatis: aliâs dabo
operam, vt meliùs ac doctiùs proponantur: ſi mihi ſucce-
dentia tempora copiam declamandi conceſſerint. Qvan-
tum eqvidem ad primam partem meæ orationis attinet,
teſtimonia veteris ac novi teſtamenti conſiderabimus, qvæ
planè ac clarè indicant, CHriſtum eſſe verum promiſſum
Siloh, hoc eſt, fortiſſimum Heroa, atq; totius humani gene-
ris Salvatorem, qvi reparaturus eſt omnia, quæ Adam
in Paradiſo ſuo lapſu deliqvit. Primum genus argumen-
torum, qvibus qvæſtio propoſita confirmari debet, ſunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

figuræ & typi, qvos nobis vetus Teſtamentum multifariam ſuppetit. Hic qvoq; apud gentiles nonnulla, tanqvam nativitatis Chriſti prodigioſa ſigna, facta connumerari poſſunt. Primum itaq; typum admirandæ nativitatis Chriſti, ſciamus eſſe Adami creationem. Qvemadmodum enim Adam creatus erat ſine hominis cooperatione: Ita Chriſtus Dei filius naſci debuit ſine virili ſemine ſeu commixtione hominis: Nam ejus conceptionem per efficaciam ac operationē Spiritus Sancti fieri optimè convenit. Multæ figuræ de Chriſti adventu in carne in veteri teſtamento inveniuntur. Ex iis atq; earum circumſtantijs clarè videmus, Chriſtum filium Dei omnipotentis, & totius mundi Salvatorem eſſe, cui omnia Prophetarum vaticinia, qvæ collimata in ipſum ſunt, pulcherrimè conveniunt recens nato Regi in Bethlehem. Aliam qvoq; figuram habemus in Aaronis virgâ, qvæ (qvamvis lignum aridum) floruit. Haud qvoq; diſsimilis extitit figura in ardente rubo: qvi qvantumvis Moiſi viſus eſt ardere: attamen non eſt conſumtus: Ita Ieſu Chriſti nativitas contra omnes, imò ſupra omnes naturæ conditiones longiſsimè excedit. Qvi etſi de virgine verus homo naſcitur: tamen ejus virginitas intacta & incorrupta remanſit. Hoc autem tempore turbulentiſsimo magnoperè refert, CHriſti humanitatem ſive incarnationem pluribus confirmare adverſus hæreticos vafros: qvales erant Manichæi & Marcionitæ. Vtriq; ſomniabant, CHriſtum hominem non eſſe, contra ſacram

ſcri-

ſcripturam : nec putaverunt CHriſtum habere corpus naturale, ſed ipſum ſpectrum ſeu ſimulachrum fuiſſe. Hæreticus Valentinus aliqvo modo aſſentiebatur, Chriſtum verũ corpus habere, ſed è cœlo ſecum corpus aſſumſiſſe ait, & omninò nihil ex carne atq; ſangvine Mariæ accepiſſe, ſed tantùm invaſiſſe corpus virgineum, cœleſti corpore de cœlo ſecum allato. Tales hæreſes, qvæ Chriſti humanitatem ore blaſphemo negant, facilè tribus argumentorum generibus evertuntur & refutantur. Qvorum primum teſtimonia nativitatem Chriſti præcedentia in veteri teſtamento, vtpote figuras & aperta ſacroſanctæ ſcripturæ dicta, habet: qvæ Chriſti conceptionem et incarnationem iuxta promiſſiones præcedunt: qvæ qvamvis multos annos differebantur: tamen irritæ nunqvã apud Deum fieri potuerunt. Duabus itaq; de cauſſis nativitatis Chriſti myſterium multas annorum myrriadas expectabatur. Primò, qvia magna annorum multitudo apud Deum tanqvam heſterna dies eſt, imò potius inſtar ictus oculi. Deinde, vt homines magno animi deſiderio expectarent temporis iſtius plenitudinem, qvæ in ſolius Dei decreto determinata erat, de qvâ Apoſtol. ad Gal. 4. eleganter in hunc modum ſcribit: Poſtqvam venit plenum tempus, emiſit Deus filium ſuum, factũ ex muliere, factum legi ſubjectũ. Etſi omnibus mundi temporibꝰ multa mirabilia, imò ſtupenda facta ſunt, qvæ humana ratio vix metiri poteſt: nulla tamen viſa vel audita fuere talia, qvale hoc nativitatis Chriſti myſterium erat, qvẽ-

admo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

admodum Eccleſia canit: Qvis audivit talia, dic rogo, facta, &c. Primus itaq; typus incarnationis Chriſti, qvem habet ſacra ſcriptura, eſt, creatio primi Adami, qvi vt ſine patre terreno creatus erat: Ita conveniebat, vt ſecundus Adam (vt loqvitur Paulus) naſceretur ſine virili adjutorio. Futuræ qvoq; pacis ſignum arcus cæleſtis nobis oſtendit, qvam pacem Chriſti nativitas nobis attulit, non qvidem mundanam, ſed æternam inter Deum & hominem: Vnde rectè hujus pacis autor, Chriſtus nimirum, Pater æternitatis dicitur apud Prophetam. Figuram qvoq;, qvæ huc rectè referri poteſt, habet liber Ioſvæ, qvi vt diviſit terram Canaan inter ſuos fratres: Ita Chriſtus terram Canaan, id eſt, cæleſtem illam hæreditatem inter ſuos, qvibus carne frater eſt, & fide applicatus, dividat. Numer. 34. Et 4. lib. Regum capit. 6. havd inelegans factum legimus: Vbi obſcurè indicatur Chriſti deſcenſus in carne. Accidit apud Iordanem, cum filii multi Prophetarũ cæderent ligna, ad ædificationẽ Synagogæ, ferrum ſecuris in fluvium cecidit: homo ille, cujus erat ferrum, advenientem Elizeum Prophetam advocavit, vt ſibi, monſtrato loco, ferrum reſtitueret. Propheta præcidit lignum, et emiſit illud, et ferrum natavit, et, protenſâ manu, tolle ferrum, ait Propheta: Ita Chriſtus ad inferiores partes terræ demiſſus, & poſtea, protenſâ DEI patris manu elevatus eſt, & à Deo patre ordinatus, tanqvam inſtrumentum ac medium ſalutis noſtræ, imò efficiens cauſſa et caput, per qvod,

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

& cum qvo verum Dei templum ædificatur, in qvo Deus optimus maximus vult habitare, qvale ſunt homines. De hac eadem re inſigne extat colloqvium apud Zachariam 4. vbi ita inqvit: Ecce vir aſcendens ſuper eqvum ruſum, & ipſe ſtabat inter Myrteta, qvæ erant in abyſſo, & poſt eum multi alii varii coloris venerunt. Angelum interrogavi, qvid ſint iſti? Reſpondens dixit: Qvid hæc ſunt, tibi dicam, & qvis ille eſt, qvi inter Myrteta ſtabat, iſti ſunt, qvos Deus miſerat, vt terram perambulent. Item, apud Eſaiam 55. dicitur Myrtum pro vrtica creſcere, & Dominus erit ſignum perpetuum, qvod non avferetur. Audiemus qvoq; attentè ſacrificiorum genera, qvæ extant in libris Moiſis, in qvibus figuræ de incarnatione Chriſti, etiamſi obſcurè, illuſtres habentur. In primis primogenitorum conditiones congruenter incarnationis Chriſti exhibitioni reſpondent, vt Deuteronomii cap. 15. Qvemadmodum pia antiqvitas hæc & multa alia iuxta ſenſum ſcripturæ allegoricum interpretatur: quâ ratione Chriſtus ſæpiſſimè primogenitus ſecundum vtramq; naturam orthodoxè appellatur. Samſonis etiam nativitas pulcherrimè, ſimul & educationis modus, Chriſti nativitatis typus erat, vt legere eſt, Iudic. 13. de vxore Manuæ, qvæ licet naturâ ſterilis erat: tamen poſt colloqvium cum angelo concepit & peperit filium: qvem conceptum multi ſcriptores fuiſſe autumant præter communem procreandi curſſum. Et ex veteri qvoq; teſtamento pro typo Chriſti habebantur il-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

li, qvi commune nomen cum Chriſto ſortiti ſunt: & id non ſolùm, qvia cognomines Chriſto erant; Sed qvia multa miracula ac facta ſtupenda virtute CHriſti faciebant. Propriâ enim virtute aut propter inane illud nomen parum aut nihil à reliqvis hominibus differebant: ſed in eorum factis voluit Deus omnipotens ſui filii in carne venturi figuram exiſtere. Hoc eleganter notatur 4. Reg. 9. De Iehu filio Ioſaphat, qvi rex erat vnctus ad domum Achab delendam, iniqvitatis pleniſſimam: hic figuram Chriſti, in plenitudine temporis incarnandi, atq; in Regem vngendi ad evertendam, & funditus exſtirpandam domum Sathanæ, gerebat. Qvæ hactenus dicta ſunt, fortaſſe obſcuriora intellectui noſtro videri poſſunt. Audiemus itaq; ſententias ſcripturæ clariores, qvæ ſuperioribus qvodammodo lucem clariorem adferant. Teſtimonium minimè obſcurum Geneſ. 3. habetur de nativitate Chriſti in carne. Dicit enim ſcriptura, ſemen mulieris contriturum fore caput ſerpentis. Idipſum, verbis tamen mutatis, aliavè loqvendi formulâ, Deuter. 18. repetitur, vbi ait Moiſes: Suſcitabo in medio fratrum tuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, & loqvetur omnia, qvæ præcipio illi. Niſi tædioſum eſſet tantam dictorum congeriem adducere, huic rei majus lumen adderet dictum illud, 1. Reg. 2. Sed qvia vtilitas tædium vicit, audiamus qvod citato loco ſpiritus Dei dixit: Suſcitabo paſtorem fidelem, qvi omnia ſecundum cor meum & animam meam faciet, & ædificabo illi domum,

& ipſe ambulet coram CHriſto vncto meo ſemper. Qvæ audiviſtis adeò clara ſunt, certè luce meridianâ clariora, vt nullam mereantur dubitationem, niſi malitioſè ab hæreticis expoſita fuerint. Eſaias tamen 7. capit. imbecillitati noſtræ conſulens, rem propiùs accedit, imò, ac ſi digito nativitatis CHriſti circumſtantias ante oculos poſitas demonſtravit. Qvo in loco vaticinari non videtur: ſed potiùs præſentia dicere, imò, non tantùm dicere, ſed digito oſtendere incarnationem CHriſti jam jam præſentem eſſe; eâ, fortaſſè, de cauſſâ, qvòd in decreto Dei reipsâ temporis determinatio eſſe debet; qvoniam omnia illi præſentia ſunt. Ergo rectè incipit Eſaias à particulâ præſentis temporis, qvando dixit: ECCE, virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus. Ab adverſariis ſive hoſtibus hujus qvæſtionis, qvi magno veritatis odio inæſtuant, nobis objicitur, ſed non ſatis prudenter, cum dicunt, DEVM non poſſe à mortalibus videri. Exod. 33. At inqviunt, CHriſtus videbatur, palpabatur, qvando nobiſcum verſabatur in terris. Ergo verè Deus, juxta dictum Moiſis, dici non poteſt: & incarnatio atq; nativitas idipſum teſtantur. Ad hoc, qvod inde objicitur nobis, reſpondebimus, filium DEI ſuâ eſſentiâ divinâ inviſibilem eſſe; at per incarnationis myſterium factum eſſe ſui patris imaginem viſibilem et aſpectabilem, atq; etiam corporaliter nobiſcum in terris verſatum eſſe. De hac Dei viſibilitate dixit Baruch ſpiritu Prophetico

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

plenus capit. 3. Deus viſus eſt in terris, & converſatus eſt cum hominibus: qvo dicto Propheta prædixit incarnationem Chriſti. Aliud in Ieremiâ capit. 44. legitur de porta clauſa, per qvam nemo virorum intravit, ſed ſolus Dominus per eam intravit. Qvo dicto Propheta, etſi obſcurè, ſignificavit nativitatem Chriſti futuram, matris virginitate intactâ. Cujus miraculoſi Chriſti ortus, etiam apud gentiles multa vaticinia ſeu oracula apparuerunt. Etiamſi illi verbum Dei tam clarè, atq; Dei populus in Iudæâ viventes, non habuerunt: Deus tamen ſingulari ſuâ clementiâ ſui filii prodigioſam nativitatem totius mundi angulis manifeſtam fore voluit. Qvemadmodum de Cæſare Auguſto à multis narratur: Qvòd cum ejus imperium valdè amplum atq; ſplendidum eſſet, oraculum ſolicitè interrogavit, qviſnam ſibi in regnum ſuccederet Cæſar? Oraculum reſpondit: PVER HEBRÆVS naſcetur, qvi totius mundi imperio potietur. Tale qvid recitat Nicephorus lib. 14. cap. 46. Cæſar enim Theodoſius, & Patriarcha Proclus Olim dolore vix conſolabili opprimebantur ob terræmotum. Eodem tempore puer erat, qvi divinâ vi ad cæleſtem vſq; tractum ſublatus eſt, vbi divinam vocem audivit, & angelos Deum ſummum laudibus celebrantes: Qvibus auditis, eâdem viâ ad ipſos reverſus eſt, atq; illis renunciavit, qvæ in cælo audivit, qvæ ita ſonant: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS MISERE-

RE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

RE NOSTRI. Hac viſione, de puero aſcendente & deſcendente, ſignificatur Chriſti deſcenſus in carne, & aſcenſus in gloriâ. Hujusmodi, qvæ ſunt vera prælúdia incarnationis Chriſti, brevitatis cauſa relinqvo. Icciрco talium recitatione ſuperſedere commodiùs fore duco, qvàm vos prolixitatis tædio afficere. Sed aliqvot argumenta & miracula recitare decrevi, qvæ facta ſunt eo tempore, qvo CHriſtus natus eſt. Hæc multum ad probandum Chriſti nativitatem faciunt. Hinc nativitatem Chriſti miracula multa comitata ſunt. Primò, qvod verbum, id eſt, λόγος Dei, conceptum eſt in virgine ſanctâ, vt Cyrus Panaprolites Poëta inqvit apud Nicephorum. Qvare Chriſtus natus eſt in mundum naturalis homo? Hujus rei cauſſæ extant multiplices in ſacris literis. De hiſce enim ita loqvitur Eſaias cap. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium, et vocabitur Emmanuel. Et Baruch 3. cap. dicit: Homo eſt, qvis cognovit eum. Et Moiſes Numer. 24. Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël. Inveniuntur etiam multæ ſententiæ apud Ethnicos, qvibus & nos credamus, qvòd Ethnici acumine ingenii potuerunt cognoſcere tale miraculum: Vt Mileſius Apollo interrogatus de Chriſto, an nudus homo, an Deus eſſet? Ita reſpondit:

Τνητὸς ἔλω κατὰ σάρκα, σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις.
ἀλλ' ὑπὸ χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς.
γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Ita Latinè redditi ſonant:

Carne qvidem mortalis erat, ſapiensq́ ſtupendis
Factis, judicibus Chaldæis cuſpide vinctus,
Clavis in palo crudelia funera paſſus.

Si hæc verba altiùs conſideraverimus, cum verbis Lucæ in actis Apoſtolorum capit. 2. pulchrè conveniunt: Vir qvidam miſſus erat à Deo, miraculis & prodigiis potens, &c. Multo qvoq́ tempore mulieres qvædam vixerunt ante natum CHriſtum, qvæ vulgò Sybillæ vocantur; ex iis vna pulcherrimè de CHriſto tali carmine vaticinata fuit:

Ἀνθήσει δ' ἄνθος, καθαρὸν, βρυοῦσι δὲ πάντα. Hoc eſt:
Flos autem purus florebit, cuncta ſerenans.

Haſce autem omnes circumſtantias ſi altiore animo perpenderimus, qvæ non ſolùm nativitatem CHriſti præceſſerunt, Verùm etiam qvæ cum ea conjunctæ ſunt; ſanè adeo admiranda eſt, vt nullum miraculum, ſive in cœlo, ſive in terrâ, cum eâ conferri vllo modo poſsit. Scriptores ſeptem mundi miracula excogitaverunt: Verùm, ſi conferantur cum myſteriali incarnationis ac nativitatis miraculo, vix miraculi nomen merentur. Super hoc enim angeli, naturâ cœleſtes, magnâ ſapientiâ præditi, multùm mirabantur, certè præ admiratione natalem CHriſti cantico dulciſsimo celebraverunt, qvem paſtores agentes excubias ſuper gregem ſuum, non ſine magna lætitia docuerunt, qvando audiebatur: Gloria in excelſis Deo, in ter-

râ

râ pax, hominibus bona voluntas. Talia ac tanta nativitatis CHriſti prælumdia, ſeu ſigna certiſsima, non ſolùm in Eccleſia Chriſti, vbi tum temporis vox divina floruit, viſa ſunt, iuxta vaticinia Prophetarum in ſcripturis: Sed etiam in Ethniciſmo ſeu gentiliſmo nonnulla conſpiciebantur, qvæ de ejus ortu expoſita ſunt. In ſacris literis Iacob ille Patriarcha ſuis poſteris tale ſignum reliqvit; qvando nimirum ſceptrum ablatum eſſet à Iuda, tum demùm Siloh veniret. Huic vaticinio eventus ipſo nativitatis Chriſti tempore optimè reſpondebat: cum enim naſcebatur Chriſtus, gens Iudaica tenebatur ſub magiſtratu Ethnico, & cogebatur cenſeri. Qvo ſigno verè oſtenſum eſt, Siloh, hoc eſt, Meſsiam in carne jam præſentem eſſe, qvi totum liberaret mundum ab iſto jure ſeu onere, qvod in eum habuit Sathan; cujus figuram illa civilis exactio ſeu cenſura, ſub Ethnico ſeu alieno magiſtratu peracta, gerebat. An non mirandum nobis videri debeat, qvod Chriſtus ſuæ carnis ortu veram pacem toti mundo attulit, & inimicitias Sathanæ deſtruxit? Quapropter rectè ab Eſaia dicitur debelaſſe Damaſcum civitatem illam magnam, qvæ figuraliter dicitur infernus. Porrò ſi liceat extra terminos Iudeæ, cuj potiſsimùm Meſsias promiſſus videbatur, diſpaciari, certè ſingulare ſignum, (qvod minimè ſilentio prætereundum eſt,) pacis, qvam attulit nativitatis Chriſti adventus, noſtra communis patria tunc temporis vidit. Eo enim tempore regem habuit Dania nomine Frotonem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

in hiſce regnis ac inſulis, rerum valdè feliciter potiuntem, cujus tanta erat & autoritas & majeſtas, vt etiam aurum rapinis expoſitum, perinde, ac ſi in cuſtodia firmiſsima ſervatum tueretur. Huius rei ingentem Daniæ claritatem fidelitas concitavit. Per idem tempus publicæ ſalutis autor mundum ingrediens, ſervandorum mortalium gratiâ, mortalitatis habitum indutus eſt. Cum iam terræ vbiq; locorum, bellorum incendiis ſopitis, ſereno tranqvillitatis ocio fruerentur: creditum eſt tam perfusè pacis amplitudinem æqvalem, vllis orbis angulis intercluſam ſeu interruptam, non adeò terreno principatui, qvàm ortui divino famulatam fuiſſe: cælitusq; geſtum, vt inuſitatum temporis beneficium omnis temporis autorem præſentem eſſe teſtaretur. Chriſti nativitas, vt hinc liqvet, omnibus mundi partibus innotuit, etiamſi in Iudæa, tanqvam in totius mundi habitabilis vmbilico, facta eſt. Nam illa inſveta nativitas, non ſolùm Daniæ incolis ornata gratæ pacis inſignio: uerumetiam omnibus vndiq; mundi partibus illius miraculi ſplendor illuxit. Qvod perfectò ex hiſtoria Magorum facilè intelligi poteſt, qvi ex oriente Ieruſalem ductu novæ ſtellæ venerunt, qvæ ſtatim poſt natum CHriſtum apparuit, qvam hiſtoriam Matth. cap. 2. copioſè tractat. Hæc nova ſtella, qvæ ipſis in locis à Iudæa remotiſsimis viſa eſt, ſignum erat nativitatis CHriſti, qvam Deus voluit per totum orbem qvibuſdam ſignis deuulgandam. In cælo qvoq; nec defuerunt præcones natalitiorum Chriſti, qvæ

libro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

librorum divinorum voluminibus ſatis perſpicuè ſunt conſignata, de eo teſtimonium perhibentes, imò comprobantes: qvòd is iam præſtò ſit, qvē omnes in veteri teſtamento tā anxiè, tam deſiderabiliter, vſq; adeò inenarrabili qvodam cordis affectu expectarunt. Qvis non dignè laudet tam inconſolabilem ferè cordis appetitum, in piis præſertim hominibus, qvi non vt regem ſecularem expectarunt, cujus imperium certo & brevi qvodam tempore duraret: Sed eum, cujus imperii non erit finis, & eum, qvi non ſolùm à periculis corporis tueretur ſubditos ſuos: Sed qvi à maledictione legis, ab æterna morte, à Diaboli tyrannide, & (vt vno verbo plurima dicam) ab omnibus hoſtibus, tam corporalibus, qvàm ſpiritualibus, liberaret. Hunc itaq; regem veteris teſtamenti populus, qvi veræ fidei oculis reſpexerunt ad Chriſtum naſciturum, cœlitùs ſibi dari cupiebant, vt Propheta teſtatur: Diſrumpe cœlos tuos & deſcende. De perpetua itaq; regni ejus duratione plurima ſcripturæ dicta teſtantur. Ex iis, vt reliqva omittam, vnum apud Eſaiam capit. 9. proponam, vbi Propheta regni CHriſti facit mentionem, vocans eum pacis principem, & dicens regni ejus non eſſe finem, atq; eum ſuper ſolium David, & regnum ejus regnaturum vſq; in ſempiternum. Ex hiſce & aliis dictis, qvæ concionantur de nativitate Chriſti ejusq; vſu, cognitio de futura liberatione naſcetur, qvam in miſeriarum ſolatium fideles vſurpare ſemper debeant. Ex virgine ergo natum eſſe creda-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

mus, qvò verus Abrahæ ac Davidis filius agnoſci poſsit, qvi in lege & Prophetis toti mundo promiſſus erat. Vnde fides noſtra geminum fructum habebit. Primò, videmus filium Dei eſſe præſentem, aſſumtâ carne, per conceptum humanitatis ad ſalutem hominis peragendam; & nos, initâ communione nobiſcum, ad ſocietatem ſui corporis atq; omnium bonorum, credentes recepiſſe. Hæc, qvæ hactenus diximus, collata cum ſacrorum librorum monumentis, teſtabuntur, qvòd hæc perſona, recens in mundum nata, diabolum & imperium mortis debellatura ſit; noſtram carnem induit, vt diabolum ſuam nativitatem celaret, vt in noſtra carne hoſtes omnes noſtrâ vice vinceret, ac ſuper eos triumpharet. Hinc factum eſt, vt ejus victoria & triumphus noſter fieret. Ejus originis ſeries ducta eſt ab Abraham ac David ad Chriſtum, vt inde confirmari poſſit, eum eſſe illum, qvem oracula multa in lege & Prophetis ex Abraham ac David lumbis naſciturum antè promittebant. Simul etiam Chriſti conceptionem & nativitatem oportuit eſſe multùm miraculoſam et claram: Purgaret enim multos ex peccatorum ſordibus; idq;, vt ſit analogia inter CHriſti nativitatem, qvæ facta ex pura virgine, ſine virili ſemine: & inter noſtram ſpiritualem regenerationem, qvæ non fit ex ſangvine, neq; ex carnis libidine, neq; ex libidine viri, ſed ex Deo, ut ait Iohannes. Habemus præterea hunc vſum, qvando oculis cernimus nos præſentibus deſtitui: in mentem revocabimus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

natalem CHriſti miſeriarum pleniſſimum; qvi etiamſi, vt murice & byſſo involveretur, dignus erat, atq; vt cunis inauratis reclinaret, & vt in domibus picturatis ei hoſpiciũ pateret: In ſtabulo tamen inter jumenta bruta, involutus fœno jacuit. Hoc totum factum eſt, vt Chriſtus ſub tali paupertatis jugo naſceretur, vt ſi nos vndiq; inopia premeret, paupertas CHriſti conſolari nos debeat, nimirum, vt ſciamus ipſum ideo pauperem natum eſſe, vt nos ſuâ nativitate divites faceret. Deindè ſignificatum eſt, nativitatem Chriſti ex hoc mundo non eſſe; Ideo nullum principium vel ſpeciem regni mundani tempòre nativitatis oſtendere voluit, Sicuti Iohan. cap. 18. ait: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Idem de ipſius regni conditione Eſa. 9. vaticinatus eſt, dicens: Multiplicabitur imperium ejus, & pacis non erit finis. Secundam cauſſam, qvarè in tanta calamitate CHriſtus naſci voluit, ponit Paulus 2. Corinth. 8. Scitis, inqvit, gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti; Qvoniam propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives: Vt illius inopiâ vos divites eſſetis. Et ideo qvoq; inops in lucem ſecundum carnem editus eſt, vt ſua inopiâ omnibus modis totius mundi ſuperbiam & abundantiam vituperaret. Dum impii criſtas erigunt, & potando, & edendo, vivendoq; ſplendidè; Chriſtus cœli & terræ conditor tam pauper & calamitoſus factus eſt, vt non habuerit, qvò caput inclinaret; Qvemadmodum ipſe Chriſtus apud Evangeliſtam teſtatur. Siqvidem varia argumenta, pro ingenii

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

mei tenuitate allata, veſtra humanitas audivit, qvibus e-
videnter & clarè probavimus, CHriſtum verè hominem
natum eſſe ex Mariâ virgine, ſine virili ſemine; Qvæ non
adduximus ex fontibus Philoſophiæ; Sed ex ſacris lite-
ris, qvæ facilè refutari non poſſunt, niſi aliqvis velit om-
nia Prophetarum oracula labefactare, atq; manifeſtè ve-
ritati vim inferre: Ex iis itaq; certò credamus, ipſum
eſſe verum mundi Meßiam, in plenitudine temporis na-
tum atq; in carne exhibitum, atq; magnam inde nos vtili-
tatem nactos eſſe; Qvæ omnia Eſaias paucißimis verbis
cap. 9. complexus eſt, inqviens: Nobis puer natus & da-
tus eſt; vt ipſe puer nos regni cœleſtis, per incarnationis
beneficium comparati, participes redderet. Qvod ipſum
vt nobis largiatur Deus Opt: Max: per eundem pue-
rum, recens nobis natum, in omnem ſeculorum peren-
nitatem ſummo laudum præconio extollen-
dum, ſupplici corde exopta-
mus, Amen.

DIXI.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1

Eget BB 1990

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 974 4° copy 1